



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 108. Joannis Parvi propositio damnata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

esse, publice testatus est. Tunc ergo E-Sæcul. XV.  
 piscopi eum a pedaneo scabello descendere præcipiunt, ac præprimis illi calicem e manibus eripiunt, ex libro Pontificali hæc pronunciantes verba: *O Ju-  
 da maledicte &c.* Postmodum successivo or-  
 dine illum omnibus exuunt sacris vestibus,  
 ejusque capillos ad speciem crucis ab-  
 scindunt, ut nullum amplius coronæ si-  
 gnum appareret. Porro sic degradato  
 papyraceam unius cubiti & piramidalis  
 figuræ mitram imponunt, in qua tres  
 diaboli depicti, hæcque verba inscripta  
 legebantur: *Hic est Hæresiarcha.*

### §. CVII.

#### *Brachio sæculari traditus.*

Post hæc ab Ecclesia ejicitur, & ut lai-  
 cus publice declaratus, brachio sæ-  
 culari traditur, post Sessionem ad extre-  
 mum supplicium deducendus.

### §. CVIII.

#### *Joannis Parvi propositio damnata.*

Dehinc Patres Joannis Parvi cauissam denuo tractandam susceperunt; Cum autem silentio suppressis Auctoribus, eorumque sociis duntaxat propositionem Generalem, vi cuius quilibet privatus ty- rannum quocunque modo, non obstante jurejurando occidere posset, damnari Labbe Cons.  
to. 12. p. 144.

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

I sta-

**Sæcul. XV.** statuissent, istud eorum consilium in hac  
**A. C. 1415.** Sessione executioni dederunt, sequenti  
 tenore: *Præcipua sollicitudine volens hæc  
 sacrosancta Synodus ad extirpationem er-  
 rorum & hæresum in diversis mundi parti-  
 bus invalescentium providere, sicut tenetur,  
 & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod  
 nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bo-  
 nis moribus, ac multipliciter scandalosæ, to-  
 tiusque Reipublicæ statum & ordinem sub-  
 vertere molientes, dogmatizatæ sunt, inter  
 quas hæc delata est: Quilibet tyrannus po-  
 test, & debet licite, & meritorie occidi  
 per quemcunque vasallum suum, vel subditum,  
 etiamsi per clanculares insidias & subtile  
 blanditias vel adulatio[n]es, non obstante quo-  
 cunque præstito juramento, seu confœdera-  
 tione factis cum eo, non exspectata sententia  
 vel mandato cujuscunq[ue]. Adversus hunc  
 errorem satagens hæc sacrosancta Synodus  
 insurgere, præhabita deliberatione matura  
 declarat, decernit, & definit hujusmodi do-  
 ctrinam erroneam esse in fide, & moribus,  
 ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam,  
 & ad fraudes, deceptiones, mendacia, pro-  
 ditiones, perjuria, vias dantem reprobat,  
 & condemnat. Declarat insuper, quod per-  
 tinaciter doctrinam hanc perniciöfissimam as-  
 serentes, sint hæretici, & tanquam tales jux-  
 ta canonicas sanctiones puniendi.*

§. CIX.